



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvtae, Sive Considerationes Piae, Praecipuam
Spiritualis Vitae Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

144. Fer. 5. De corpore glorioso, agili, & subtili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Fer. 5. Dom 3. post Pasch. 251

um ad docendum alios exemplo, & verbo,
& gratiam patiendi.

MEDITATIO CXLIV.

Feria 5. post Dom. 3. post Pascha

*De Corpore quoad sensus externos
glorioso.*

Intuebor, quomodo gloria Beatorum erit
*speculum visui, cithara auditui, mel gustui,
balsamum olfactui, flos desiderabilis tactui, ut*
ait S. Bernard. Serm, de Omn. SS. Petam
intelligere prœmia sensuum externorum, &
consequi.

Cons. 1. Corpus gloriosum in potentia
sensuum, qui juxta D. Thom: omnes erunt in
suo actu, id est, cum suis operationibus: Quia
sic erunt magis perfecti, quod decet statum
gloriosum; si enim anima quoad intellectum
beata erit fruitione Dei, etiam quoad sensum
beata erit in delectatione objectorum sensibi-
lium proportionatorum, ita ut quemadmo-
dum in sensibus gravissimè punientur da-
mnati, sic in eisdè ineffabiliter præmiabun-
tur Beati. Erit igitur corpus gloriosum in
visu; habebit enim oculus corporalis Beati
suam felicitatem in visu omnium corporum
Beatorum, & imprimis Immaculatæ Matris
Dei & Virginis, sed super omnia in Humani-
tate Sacrosancta Christi. Comparebunt ibi
L 6 corpora

corpora gloriosa, quasi totidem Soles, imò Sole luminosiores, ideóque visum ineffabiliter delectabunt. Videbunt etiam omnia alia objecta, sive coelos materiales, sive elementa omnia renovata, & poterunt ea videre in omni distantia.

Conf. 2. Corpus gloriosum in odoratu habebit enim hic sensus felicitatem suam in suavitate odoris, qui exhalabit è corporibus Beatorum, atque anhelitu odorosissimo, & super omnia ex Corpore Christi. Omnes erunt velut quoddam incensum semper plenum suavissimorum aromatum ad delectandum odoratum Beatorum. Nec tantum corpora gloriosa, sed totum coeleste ædificium spirabit odores, & fragrantiam suavissimam gloriæ Sanctorum, & plenæ felicitati.

Conf. 3. Corpus gloriosum in potentia gustus, quæ habebit etiam felicitatem suam in objecto sibi proportionato saporis, & poterit suavissimo semper cum voluptate liquore omnem saporem continente; non enim ille erit gustus, ut est sensus alimentis sed ut est iudicium saporis, ut gaudeant sapore.

Conf. 4. Corpus gloriosum in sensu tactus, qui tam latè patet sicut visus. Gaudebit tactus super omnia in Humanitate Christi osculando vulnera ejus, *Luc. 24. Palpate, & videte*

Feria 5. Dom. 3. post Pasch. 253

videte; quòd si Sancti in terris senserunt in osculis Christi fragrantiam, & suavitatem ineffabilem, qualis erit in cœlis Beatorum? Adde, quòd Sancti se amplexabuntur castissimè, quia erunt ut Angeli Dei.

Conf. 5. Corpus gloriolum in sensu auditûs, ut voce spiritali & corporali laudabit Deum, suavissimâ musicâ cœlestis chori, sed super omnia vocis Christi harmoniâ, quam edet his verbis: Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum paratum vobis ab origine mundi: Benedicti per gratiæ adoptionem: paratum per æternam prædestinationem, ait Bonavent. in dicta sicut. Tom. 2. & respondebit totus chorus Sanctorum Pauli Canticum: Regi seculorum immortalis, & invisibilis soli Deo honor, & gloria Si erunt sensus externi in cœlis beatiore, quò magis fuerint mortificati in terris: quis me continebit ab omnimoda sensuum externorum mortificatione.

MEDITATIO CXLV.

Feria 6. post Domin. 3. post Pascha.

De Corporis gloriæ potentijs internis Beatis.

Aspicam Corpus gloriosum, quo Beati omnibus potentijs sensitivis exultant in Deum, juxta illud Psal. 87. *Sicut letantium omnium habitatio est in te. Petam agnoscere sensuum*